

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Rosyjskiej Akademii Nauk w Sankt-Petersburgu, sygn. Ban. F 143, k. 128r

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 14

[14] De viro, qui moritur et habet pueros.

Si^a aliquis dicit uxorem et decedit de hac luce uxore viva permanente, uxor nichil habet in bonis suis, nisi sibi dederit pro dotalicio aut vite provisione pro eius vita in iudicio bannito. Nulla mulier potest vite provisionem, nec dothalicum hereditarie observare, quia cum mulier moritur, ad heredes revertitur sui mariti. Et si maritus mulieri nichil in bonis suis dederit, in possessione tamen bonorum sui mariti debet permanere, et pueri ipsi necessaria ministrabunt, quoisque in viduitate et sine marito voluerit permanere. Si vir oves habuerit, quas mulier ad suppellecstile recipiet. Et si pueri vellent mulieri dotalicum infringere, servare potest testimonio virorum ac mulierum metseptima^b, qui tunc presentes fuerunt. Si vir pueros habuerit, aut mulier, quicunque ex hiis exhereditati fuerint, si moritur vir, hii pueri, qui in he[re]ditate sunt patris, recipiunt bona et non hii, qui exhereditati sunt, sed hereditatem vendere non possunt absque coheredum consensu. Hii pueri, qui in potestate patris mortis tempore fuerunt, si ex hiis unus moritur, huius partem dividunt inter se equaliter, tam exhereditati, quam domestici.

^a ozdobny inicjał S wysokości dwóch wersów; ^b metviiia

[hasła: żona, mąż, wdowa, wiano, sąd wyłożony, uposażenie, gerada, dziecko, współprzysiężnik, samosiódem, wydzielony, dziedzictwo, spadek]